Hispalen. Canonicatus super articulo principali prætensæ executionis literarum Apostolicarum.

Reu. Pater. ANtequam descendamus ad probandum apertissima, & numerosa vitia subreptionum, quibus infectas literas Apostolicas exaduersò extortas meritò resoluendum speratur non esse exequendas, præmittere necessariò oportet Illustrissimum Capitulum Insignis Ecclesiæ Metropolitanæ Hispalen. habere specialissimum interesse, & sese opponere in figura iusti, & legitimi Contradictoris aduersus executionem huiusmodi literarum; cum enim Aduersarius extorserit prouisionem violando Statuta fundamentalia Ecclesiæ requirentia in Prouidendis certas qualitates, vt est illa, quod quis existat de gremio Ecclesiæ, *seu Portionarius*, *vel saltèm Doctor decretorum*, *vel Dominus Legum*, *vel Magister in Theologia alijsque famosis facultatibus*, quarum qualitatum nullam Aduersarius in se ipso vnquam habuit, seu verificare potest indè certissimum promanat interesse Reuerendiss. Capituli ad ipsum constituendum in linea legitimi Contradictoris pro tuenda scilicèt obseruantia legum fundamentalium propriæ Ecclesiæ, ad quam obseruantiam medio Iureiurãdo omnes Canonici in ingressu Ecclesię sese obstringunt, quemadmodum in præcisis terminis tradiderunt *Argel. de legitim. Contradict. quæst.* 14. *art.* 5. *num.* 47., ibi = *Quando Capitulum allegat impedimentum respiciens obseruationem suorum Statutorum, tunc esse legitimum Contradictorem* = *Ros. de execut. liter. Apost. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 156., *Amayden. de stil. Datar. cap.* 5. *numero* 87., & passim firmauit *Rot. coram Merlin. decis.* 14. *num.* 13., *& coram Bich. decis.* 24. *num.* 1. *&* 1., ibi = *Interest totius Capituli Statuta Ecclesiæ seruari, & ratione huius interesse Capitulum est legitimus Contradictor* = *& coram Priol. decis.* 386. *num.* 8. *& coram Coccin. decis.* 1902. *num.* 24. *&* 25. *& in recent. decis.* 27. *num.* 16. *par.* 6. *& decis.* 542. *num.* 9. *par.* 4. *tom. primo*, *& decis.* 148. *num.* 6. *par.* 19.

Non solùm verò ex hoc capite, sed generalitèr ex quibuscumque alijs defectibus, & vitijs infecta conuincatur Prouisio Apostolica per Aduersarium obtenta adhuc Illustriss. Capitulum semper in omnibus est legitimus Contradictor attenta dispositione eorumdem Statutorum fundamentalium, in quibus opportunè præcauendo, ne per subreptionem, aliosque illegitimos modos se intru-

trudant in Ecclesia Prouisi Apostolici ordinatum fuit, quod Capitulum debeat recognoscere titulos, & Bullas, & omnia videre, & examinare ad effectum vt compertis vitijs debeat fieri remissio literarum ad Summum Pontificem, *vt in Summ. num.2. lit.A.*, ibi = *In primis exhibeat suas Bullas, & processum fulminatum super ijs &c. in Capitulo, & Capitulum OMNIA videat, & diligentèr examinet* = *& num.3. lit.B. & C.*, ibi = *In primis vota capiamus, an negocium admissionis ad possessionem sic vacantis in mense Apostolico debeat remitti ad SS. D. Nostrum Papam, vel debeat per nos recipi* = quæ Statuta in hac parte reddiderunt Capitulum legitimum oppositorem super omnibus vitijs, quibus infectæ sunt prouisiones Apostolicæ ad effectum ea deducendi, & accusandi coram Summo Pontifice, vt sic impediatur vitiosus ingressus in Ecclesia huiusmodi personis nullitèr prouisis, quod propterea Ius competens Illustrissimo Capitulo ex ipsis Statutis fundamentalibus dubitari non potest, quo minùs illi tribuere dicatur facultatem legitimè contradicendi aduersùs quascumque prouisiones per subreptionem extortas, aut alio vitio insubsistentes, & nullas, iuxtà punctualitèr firmata apud *Rot. decis.55. num.5. & seqq. coram Duran.*, vbi quod constat de interesse Capituli nomine Ecclesiæ, quam repræsentat, vt intrusi, & illegitimè Prouisi eiciantur ab Ecclesia, & *coram Priol. decis.8. num.10. & 11. & coram Carill. decis.201.nu.9.*, *Capon. in discurs.apologet.pro Reuerendiss.Capit.Neapol. discept.226. num.27. cum seqq. tom. 3.*, *Card. de Luc. de Benef. disc.55. num. 8. & disc.113. num.2. vers. secus autem.*

Immò in sequelam huiusmodi Statutorum, quæ dederunt Illustrissimo Capitulo plenam facultatem inuigilandi, & se opponendi ne Prouisis aperiatur vitiosus ingressus in Ecclesia, accedit etiam factum, & recognitio Summi Pontificis regnantis, qui ad instantiam Capituli supplicantis fieri prouisiones in Personis virtute, & meritis Ecclesiæ opportunis occasione morbi epidemici, qui vacare fecerat viginti duo Præbendas in Ecclesia Hispalen. per suum Breue rescripsit elegisse Personas dignissimas virtute, & origine intuitu ipsius Capituli, *Summ. num.6.*, ibi = *Non sine peculiari quodam intuitu ad preces, quas nobis desupèr attulistis, vt singulare paternæ nostræ Charitatis argumentum hac occasione vobis tribueremus* = sicut enim hanc gratiam pro recta prouisione Canonicatuum, Capitulum obtinuit intuitu suo, ità habet manifestum interesse ad se opponendum prouisioni Aduersarij, vt eam ostendat subreptam contrà modum, & mentem Capituli votis expressam, eiusque intuitu datam pro conseruando decore Insignis Ecclesiæ, eiusque incremento reportando mediantibus Personis, prærogatiua originis, & virtutum præstantioribus, vt tradit *Gonzal. ad regul.8. num.38.*, ibi = *Potiùs namque est consideranda Persona illius, cuius contemplatione aliquid Papa concedit* = *Rot. coram*

Du-

ran. dicta decis.155. num.5. & seqq. & coram Priol. decis. 8. nu.11. & cor. Buratt. decis.13. num.7. & in rec. decis.242. num. 8. par. 9., cum alijs suprà allegatis.

Ex his constat ad exuberantiam de legitima oppositione Illustrissimi Capituli super qua errauit Executor de Partibus, quamuis de cætero non sit necessaria hæc circumstantia legitimi Contradictoris, vt sit deneganda executio litteris Apostolicis, quoties, vt in casu isto clarissima est subreptio prouisionis Apostolicæ; In his namque terminis Iudex cui commissa est potestas exequendi, cognito aperto vitio subreptionis, non potest exequi litteras etiam nemine opponente, seù deficiente quocumque legitimo Contradictore, sed ex officio eis denegare tenetur executionem, cum officium Executoris semper sit cognoscere de viribus gratiæ, & an iustificata remaneat, vel potius nulliter extorta per taciturnitatem veri, & expressionem falsi, vt est *Text. in cap. cum teneamur de Præben.*, & tradunt *Rosa de execut. litter. par.1. cap.6.n.13., & 14. Rot. decis.234. num.4. par.3. recent., & coràm Ottobon. decis.57.n.3., & 4., & in Maioricen. Beneficij 6. Decembris 1709. §. Principale coràm Rmo Ansaldo Decano.*

His præmissis dicimus rescribendum fore *litteras Apostolicas non esse exequendas* super quo articulo deputata fuit specialiter hæc Congregatio particularis in gradu appellationis contra Sententiam latam ab Executore de Partibus; Constat enim de cumulo subreptionum, & vitiorum, quibus mediantibus extorta fuit gratia, & quæ propterea eam totaliter inficiunt, & prosternunt, ac inexequibilem reddunt ad notum *Text. in cap. super litteris de rescript.*, & passim firmauit *Rot. decis.270. num.7. coràm Priol., & decis.316. num.7. coràm Cerro, & in Maioricen. Parochialis de Manacor 2. Iulij 1708. §. Quoties coràm bo. mem. Omaña, & in Maioricen. Beneficij 6. Decembris 1709. §. Principale coràm Reuerendissimo Dño Ansaldo Decano.*

Huiusmodi autem subreptiones vitia, & nullitates litterarum, de quarum executione quæstio est, habent principaliter probationem suam desumptam ex ipso ore D. Aduersarij; Postqnàm enim deputata fuit hæc Congregatio, super exequendis, necnè controuersis litteris, recognouit Aduersarius totalem infirmitatem gratiæ quam extorserat, & curauit obtinere medicinam mediante recursu ad Datariam Apostolicam pro gratia sanatoria *Perindè valere*, ex quo in suis litteris non expresserat se possidere duas Cappellanias collatiuas, & perpetuas; Deindè non suffragante hoc primo petijt secundum *Perindè valere*, ex quo falsò expressit obtinere duas Cappellanias perpetuas, qnando possidebat tres, & insuper quia in primis litteris per errorem expresserat se esse de nobili genere procreatum, cum tamen non esset talis, & demùm non suf-

fragantibus his duabus sanatorijs, petijt prouisionem ex integro tàm prædictarum Cappellaniarum, quàm Canonicatus, quas omnes instantias Eminentissimus Prodatarius remisit pro Voto ad hanc Congregationem, dùm igitur Aduersarius in præsenti contemporaneè petit Votum, siuè super sanatorijs, siuè super prouisione ex integro ex capite subreptionum, & vitiorum, quibus infectæ sunt primæ litteræ, eccè quod habemus explicitam confessionem Aduersarij super istarum nullitate, & inexequibilitate, dùm fatendo vitia, & petendo sanatoriam, & nouam prouisionem ex integro se condemnauit ex proprij oris confessione, quod nempè prouisio obtenta sit omninò subreptitia, & nulla, vt in terminis gratiæ perindè valere firmauit *Rot.decis.*1639.*num.*15. *coram Coccin.*, *& in Monasterien.Vicariæ* 20. *Martij* 1713. §. *Quamuis coram R.P.D.Crispo*, *& in Vrgellen. Beneficij*, *seù Canonicatus* 22.*Iunij* 1716. §. *Quamcumque coram R. P. D. Herrera*, ibi = *quamcumque difficultatem de cætero in vniuersum remouente confessione ipsiusmet Alzinæ, qui agnita suorum fundamentorum insubsistentia, & consequenter propriæ resignationis nullitate gratiam Perindè valere primarum litterarum sanatoriam reportare curauit &c. quâ adeò clara eiusdē Alsinæ confessione stante superfluum existimatum fuit vlteriùs immorari in perscrutanda primarum litterarum nullitate, cum ea gratiæ reualidatoriæ dicatur fundamentum &c. & ex eiusdem secundæ gratiæ impetratione plusquam concludenter probata remaneat*, = & in terminis nouæ prouisionis ex integro, quod supponat nullitatem apertam primæ prouisionis tradunt *Lotter.de re benef.lib.*2.*quæst.*54.*num.*53. *Rosa de execut.litterar.Apost.part.prima cap.*6.*num.*332., *Amayden. de styl.Datar.lib.primo cap.*7.*num.*40.55., & 56., *Rebuff. in prax.benef.tit.de noua prouisione num.*6., *Gomes.in regul. de annal. quæst.* 78. *num.* 6., ibi = *hoc ostenditur in noua prouisione, quæ communiter secundum stylum impetratur, quando gratia principalis est nulla, nam verba prouisionis hæc sunt: Beatissime Pater, quia Orator dubitat gratiam sibi factam viribus non subsistere supplicat igitur &c. ecce ergo quod &c. annullata principali gratia noua prouisio &c. subsistit.*

Stante subreptione, & nullitate confessata ex ore ipsius Aduersarij non esset opus eam vlteriùs probare ad effectum denegandi executionem litteris, de quibus agitur, sed ad conuincendum quot subreptionum, & nullitatum congerie abundent huiusmodi litteræ, illas de vna ad aliam recensere superfluum non erit, vt nulla remaneat difficultas pronunciandi litteras non esse exequendas.

Prima igitur subreptio, & nullitas fundatur in opportuna reticentia Statuti fundamentalis Ecclesiæ, quo præcognito Summus Pontifex statìm agnouisset Aduersarium non esse qualificatum, illique gratiam denegasset; Disponit namque allegatum Statutum, = *quod nullus recipiatur in Canonicum, nisi primo fuerit PORTIONARIVS*,

RIVS, *nisi sit DOCTOR Decretorum*, *vel DOMINVS legum*, *vel MAGISTER in Theologia*, *vel in alijs famosis Facultatibus* = reddita ratione illa, quæ respicit vtilitatem Ecclesiæ, ibi = *per ipsos enim decorabitur Ecclesia*, *& multipliciter in Spiritualibus*, *& temporalibus suscipiet incrementum*, = *Summ. num. primo litt. A.* Cum igitur Aduersarius, neque vnquam fuerit Portionarius, neque vnquam fuerit, aut sit, vel Doctor Sacrorum Canonum, aut Legum, vel Magister in Theologia, alijsque famosis facultatibus, gratia sine dubio dicitur radicitùs nulla ex defectu intentionis Papę concedentis, qui nunquam censetur derogare qualitatibus requisitis ex lege Statuti fundamentalis maximè sibi non expressi, & ignorati, sed eius intentio est conferre qualificatis, quibus ex lege Statuti fundamentalis beneficia debentur, vt passim firmarunt *Rosa de execut. litter. part. prima cap. 5. num. 177.*, *Rot. coram Bich. decis. 189. num. 17.*, *& seqq.*, *& coram Carill. decis. 66. num. 5.*, *& coram Emerix Sen. decis. 168. num. 2.*, *& in Vicen. beneficij 17. Februarij 1713. §. Præterea coram R.P.D. Aldrouando*, *& in Tusculana Cappellaniæ 15. Martij 1715. §. Verùm cum seqq. coram Reuerendissimo D. Ansaldo Decano*, & in terminis terminantibus qualitatum requisitarum ex Statuto Ecclesiæ decisum fuit in *Vrgellen. Plebaniæ 25. Aprilis 1712. §. Sed cessare coram Eminentissimo Priolo*, *& in dicta Vrgellen, beneficij*, *seù Canonicatus 22. Iunij 1716. §. Subreptionis*, *& §. In Concordia cotam R.P.D. Herrera.*

Præsertìm quia agitur de qualitatibus maximè consentaneis dictamini, & congruentiæ Sac. Canonum tàm in qualitate, quod quis Portionarius existat, scilicèt de gremio Ecclesiæ, qui ratione seruitij eidem præstiti de Iure est, vt præferatur Extrinsecis iuxtà *Text. in Can. Nullus inuitis dist. 61.*, *Gloss. in cap. ne pro defectu 41. de elect. in verbo ipsius*, *Garz. de benef. part. 7. cap. 9. num. 6.*, *Rot. in Camerinen. Beneficiatus 2. Iulij 1708. §. Secundo coram Magno Hispaniarum Inquisitore*, quam in qualitate Doctoratus, & Magisterij, in Sacris Canonibus, Legibus, Theologia, quæ tendit in augumentum, vtilitatem, & decorem Ecclesiæ, & Cultus Diuini, vt inquit *Rot. decis. 665. num. 12. par. 18. tom. 2. recent.*, & plenè *Lambertin. de Iurepatronat. lib. 2. part. 3. quæst. 5. art. 11. num. 4. cum seqq. fol. 950.*

Vndè propterea manifesta redditur subreptio in occultando Summo Pontifici qualitatem requisitam ex Statuto fundamentali Ecclesiæ, cui nunquam Papa derogare consueuit, vt ad litteram disponit *Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de reform.*, ibi = *ratio postulat*, *vt illis*, *quæ benè constituta sunt*, *contrarijs ordinationibus non detrahatur*; *quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione*, *seù fundatione*, *AVT ALIIS CONSTITVTIONIBVS qualitates aliquæ requiruntur &c. in beneficiorum collatione*, *seù in quacumque alia dispositione eis non derogetur idem*, *in præbendis Theologalibus*, *magistralibus*, *Doctoralibus &c. obseruetur*, *vt eorum qualitatibus &c. nihil in*

 vlla

vlla prouisione detrahatur, *ET ALITER FACTA PROVISIO SVBREPTITIA CENSEATVR*, = & sequitur *Rot. dicta decis.* 665. *num.*12.*part.*18.*recent.*, *& coram Bich.decis.*325.*num.*6., *& in Leodien.Canonicatus prima Iulij* 1707. §.*Posita coram Eminentissimo Scotto*, ibi = *in necessariam consequentiam resultat, quod prouisio Francisci &c.nulla, & irrita extiterit ob euidentem subreptionem resultantem à taciturnitate dictæ qualitatis, iuxtà dispositionem Concilij Tridentini sess.*25.*de reform.cap.*5. *&c. non attento, quod Statuta Ecclesiæ non ligent Pontificem, nec eius Prouisos, quia dicta regula non procedit in Statutis fundamentalibus &c.quibus Pontifex nrnquam censetur derogasse, nisi in litteris Apostolicis fiat expressa mentio*.

Quod autem statuta sint fundamentalia non credimus in dubium posse reuocari, quia res est notissima, & alias decisa per declarationem San:Mem:Vrbani VIII., qui edita quadam Constitutione super collatione simultanea Beneficiorum declarauit illam locum non habere in Ecclesia Hispalensi = *in qua contrarium prouenit ex particulari illius Ecclesiæ statuto, ea ratione, quià statuto in Ecclesiæ fundatione edito per dictam Constitutionem non censetur derogatum* = vt relatis verbis iudicauit *Rot.coràm Bich. decis.*241.*num.*8., & nouissimè magis ex professo decisum fuit, quod statuta Ecclesiæ Hispalen.sint fundamentalia veluti condita paulo post recuperatam de manibus Maurorum Ciuitatem Hispalensem, vt habetur *in Hispalen. Diuisionis simultaneæ* 11. *Februarij* 1697. §.*Nihilominus coràm bon.mem:Muto*, & in eius confirmatoria 4.*Iunij* 1700. *coràm Eminentissimo Priolo*.

Prout etiam non dubitatur; quod vbi statuta Ecclesiæ sunt fundamentalia, afficiant etiam Prouisos Apostolicos ad differentiam aliorum non fundamentalium, idque ex præsumpta mente Summi Pontificis, qui intelligit se conformare cum huiusmodi statutis, non autem eis derogare, ita, & taliter, quod non facta expressione specialissima qualitatum requisitarum ex huiusmodi statutis fundamentalibus Ecclesiæ, quæcumque prouisio remaneat caduca, & nulla ex defectu intentionis Summi Pontificis concedentis, vt distinguendo firmauit *Rot.decis.*665.*num.*14.*par.*18.*tom.*2.*recent.*, *& in Leodien., seù Aquisgranen. Canonicatus* 7. *Martij* 1701. §.*Non obstantibus coràm Eminentissimo Scotto*, *&* 20. *Ianuarij* 1702. §.*Verum*, *&* §.*Quidquid coràm Eminentissimo Priolo*, *&* 22.*Ianuarij* 1703. §.*finali coràm Magno Hispaniarum Inquisitore*, *& in dicta Leodien. Canonicatus* 1.*Iulii* 1707. §.*finali coràm Eminentissimo Scotto*, *& in Augustana Canonicatus* 26. *Iunij* 1711. §. *Maximè coràm R.P.D. Crispo*.

Quam ineuitabilem subreptionem declinare non valet contraria responsio, quod statuta Ecclesiæ in hac parte non videantur vsu recepta, cum enim statutum, de quo agitur super qualitatibus Prouidendorum insertum reperiatur, in volumine statutorum ex hoc tan-

tantum præsumitur vsu receptum, & obseruatum *Mascard. de probat. conclus. 1533. num. 3., Cirocch. discept. 13. num 4., Bonden. collect. legal. 2. uum. 113., & 114. tom. primo, Gratian. decis. March. 14. n. 9., & 10., Thomat. decis. 28. num. 16., & seqq., Sperell. decis. 15. num. 16. Rocc. disput. iur. cap. 38. num. 16., Rot. decis. 113. num. 3., & dec. 153. num. 2. coràm Seraphin., & decis. 305. num. 2., & 3. coràm Penia, & decis. 22. num. 2. par. 4., & decis. 22. num. 29., & 30. par. 9., & decis. 623. num. 4., & 5. par. 18. tom. 2. recent. coràm Cels. decis. 248. num. 17.*, & propterea Aduersarius, qui allegat in obseruantiam, & non vsum statuti, tenetur concludenti probationum genere hoc ostendere per actus contrarios, & præscriptiuam obseruantiam præseferentes *Riminald. iun. cons. 34. nnm. 15., & seqq. lib. 1., Sperell. decis. 15. num. 19., & seqq., Mantic. decis. 115. num. 2., Ninott. decis. 84. num. 5., & in recent. decis. 210. n. 10. par. 17., & dec. 544. num. 16., & seqq. par. 18.*

Tantum verò abest, quod Aduersarius inobseruantiam Statuti verificauerit, vt coram Executore de Partibus impedimentum dederit Capitulo, quominus exhiberet probationes super vsu, & obseruantia controuersi Statuti sub erroneo fundamento, quod Capitulum non esset legitimus contradictor *Summ. num. 17. litt. A.* Signum euidens se agnouisse obseruantiam satis planam, & obuiam, sed punctus est, quod Aduersarius impossibile est, quod impediente veritate hanc prætensam obseruantiam concludere valeat, cum neque ad istum effectum sufficeret aliquem fuisse prouisum absque qualitatibus statutis, sed necesse esset probare obseruantiam præscriptam cum qualitate coactiua, quod nempè non qualificati fuerint admissi non obstante contradictione Capituli, & ita semper practicatum fuerit cum omnibus alijs, alias ad excludendam obseruantiam sufficit plures prouisiones fuisse factas in Personas qualificatorum ad retinendam obseruantiam statuti, quoad omnes, & impediendam præscriptionem, vt in puncto firmauit *Rot. in Leodien. Canonicatus 1. Iulij 1707. §. Leuioris coràm Eminentissimo Scotto* ibi = *leuioris momenti visa fuit asserta obseruantia contraria, siquidem cum lex fundationis apertè resistat non sufficit obseruantia interpretatiua, sed præscriptiua requiritur &c. præscriptioni verò obstant innumeræ ferè prouisiones factæ fauore qualificatorum ad formam fundationis, ex quibus quæcumque præscriptio interrumpitur* = *& in Gerunden. Capituli 9. Maij 1703. §. finali coràm Omaña*; Congregatio particularis *in Romana Beneficiatus S. Petri 31. Aprilis 1716. §. Alterum in voto extenso per R.P.D. Petram.*

Neque Aduersario suffragatur attestatio quatuor Religiosorum Collegij maioris S. Thomæ Ciuitatis Hispalen. necnon alia P. Superioris Missionis Vrbis; Vltra quod enim sunt lite pendente expiscatæ, & nihil probantes ad notas regulas, de quibus *Rot. dec. 18. num. 27., & decis. 146. num. 18. par. 9., & decis. 149. num. 3., & decis. 243. num. 7. coràm Emerix iun.* huiusmodi attestationes ad nihil

inseruiunt; Præmisso enim, quod ad oppositionem Illustrissimi Capituli factam coram Executore de Partibus, quod Aduersarius non incubuerat alio studio, quam grammaticæ, ac parum sciebat latinè loqui, ipse nihil respondit, neque contradixit *Summ. num.* 13. *litt. C.*, *& D.* dicimus, quod attestatio P. Missionarij probare potest Aduersarium edoctum in exercitijs spiritualibus, in cantu Missæ, seù ceremonijs, quæ sunt studia illius loci, non autem, quod in Missione Vrbis factus fuerit Decretorum, aut legum Doctor, aut Theologiæ Magister, idemque dicimus de attestatione Religiosorum Collegij S. Thomæ, quæ dicit = *per tres annos cursum artium laudabiliter expleuit*, cū odore bonæ vitæ, & fragrantia bonorū mourū, quod importat Aduersariū studuisse summulis, & logicæ introductioni in Collegio, & sic fuisse Scholarem in huiusmodi artibus, quod nihil commune habet cum qualitate Doctoramtus in vtroque Iure, & in Magisterio Theologiæ, quæ sunt qualitates statuti, pro quibus adest sua probatio facienda per litteras patentes Vniuersitatis studiorum super Doctoratu, vt per *Mascard. de probat. conclus.* 578. *num.* 1., *& per tot.*, *Rot. in Colonien. Regentiæ* 18. *Iunij* 1706. §. *Nec quidquam in fine coràm Eminentissimo Scotto*, *& in Colonien. Canonicatus primæ Gratiæ* 13. *Decembris* 1709.. §. *Quantum enim coràm R. P. D. Lancetta*, *&* 10. *Decembris* 1710 §. *Cæterum coràm Rmo Ansaldo Decano*.

Secunda litterarum nullitas, quæ in classe obreptionum fatalissima, & insanabilis est, consistit in occultatione facta Summo Pontifici, quod Aduersarius de tempore obtenti Canonicatus possidebat tres Cappellanias perpetuas, & omnes ordinaria authoritate adeptas, & illarum duas sub eodem tecto existentes *Summ. nu.* 14. & clarè liquet ex confessione ipsius D. Aduersarii emissa in tribus supplicationibus super totidem petitis gratiis *Summ. Addition. num.* 3. 4., *&* 6.; Est autem prima elementaris propositio in hac materia beneficiali, quod supplicans Papæ pro aliquo Canonicatu, seù beneficio tenetur fideliter ei narrare omnia alia beneficia, quæ obtinet, seù possidet de tempore supplicationis, siuè ista sint compatibilia, siuè etiam incompatibilia cum beneficio nouiter adepto, ea ratione, quod Papa præcognito, quod supplicans est iam Beneficiatus ad eius ambitum refrenandum retrahi potest ab alterius beneficii concessione, siuè credendo illum iuxtà suas qualitates magis proportionatum priori beneficio, quàm alteri, siuè vt ille maneat in ea vocatione, in qua primo vocatus est, siuè quia recta distributio Beneficiorum exposcit, vt in illorum impetratione præferri debeant non Beneficiati iam Beneficiatis, alias non facta expressione Beneficiorum, quæ possidentur quantumcumque incompatibilium gratiam super beneficio nouiter adepto esse radicitus subreptitiam, & nullam statuerunt Summi Pontifices in eorum apertissimis Decretalibus vt in *Cap. Postulasti de rescript. & in*

in cap. cum adeò vers. cum enim, & *cap. ad audientiam il 2. cap. in nostra eodem tit.* & rursùs *in cap. si motu proprio*, & *cap. non potest de praeben. in 6.* quos sine Contradictore reassumunt *Selua de benef. par. 3. quaest. 11. Paris. de resign. lib. 10. quaest. 2. per tot. Garz. de benefic. part. 1. cap. 2. num. 126. Ros. de execut. litt. Apost. cap. 5. num. 30. & 306 Addtem. ad decis. 90. num. 89. par. 9. recent. Rot. post Posth. de manut. dec. 92. in principio*, & articulo ad partes examinato magistraliter resoluit *Rot. in geminis decisionibus Valentina Vicariae 7. Iunii 1694. & 10. Ianuarii 1695. cor. bo: mem. Vrsino*, quae modo impressae reperiuntur penès *Card. de Luc. decis. 17.*, & *18. super materia de benefic. lib. 12. tom. 2. & decis. 9. & 11. post Antonell. de iurib. & oner. Cleric.* in quibus sanè decisionibus tota haec materia funditus, & per sua principia ex professo enucleata fuit.

Neque ab hac radicali subreptione, & nullitate excusat error, simplicitas, ignorantia, aut bona fides: In iis enim, quae reperiuntur statuta de Iure communi, vt sub pena nullitatis sint exprimenda Summo Pontifici in beneficiis impetrandis non datur locus misericordiae, neque attenditur, an omissio, & taciturnitas processerit per simplicitatem, vel malitiam, sed in acquirendis beneficiis seruanda est forma praescripta apud Sacros Canones, quorum ignorantia in homine praesertim Ecclesiastico est potiùs turpitudo, quam excusatio, vt in subiecto articulo aduertunt *Gloss. in cap. ad aures de rescript. ibique Archidiac. num. 2. Corrad. in prax. dispens. lib. 7. cap. 4. num. 51. Rosa de execut. litter. par. 1. cap. 6. num. 32. Lotter. de re benefic. lib. 2. quaest. 54. num. 27. & seqq.* & egregiè respondet *Rot. in dicta Valentina Vicariae 7. Iunii 1694. §: neque releuabat cor. Vrsino impressa in decis. 9. num. 7. post Antonell. de iur.*, & *oner. Cleric. & dec. 17. n. 9. ad ornat. Card. de Luc. de benef.*

Minusque attenditur in hoc proposito, an beneficia, quae possidentur & quorum expressio fuit omissa, sint pinguis, vel tenuis redditus apud *Gloss. in cap. cum teneamur in verb. substentari de Praeben. Azzor. instit. moral. par. 2. lib. 6. cap. 10. quaest. 1.*, & *cap. 33. quaest. 3. Fagnan. in cap. super litteris num. 58. de rescriptis*, cum aliis relatis penès *Adden. ad Rot. dec. 90. num. 9. par. 9. recent.* siuè an agatur de Canonicatibus: seù potiùs Cappellaniis, quia Cappellaniae perpetuae, & quae authoritate ordinaria prouidentur in titulum sunt vera beneficia Ecclesiastica, & Summo Pontifici exprimenda in assecutione Cannnicatus, seù cuiuscumque alterius beneficii, vt est principium à nemine controuersum de quo *Garz. de benef. par. 1. cap. 2. num. 93. Felician. de Censibus lib. 2. cap. 6. num. 15. Bordon. de legat. cap. 6. num. 27. & 28. & cap. 13. num. 4. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. num. 50. Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 1. num. 11. & 13. Panimoll. dec. 21. num. 31. Rot. dec. 13. num. 10. & 25. par. 6. rec. & in Firmana Beneficii 27. Aprilis 1714. §. hisce coram Reuerendissimo Domino Ansaldo Decano.*

Cum-

Cumque hæc subreptio non sit de genere illarum, quæ requirant indaginem, sed sit aperta, & apertissima tam *in facto* ex rotunda confessione D. Aduersarii in tribus supplicationibus, quam *in Iure* ob dispositionem Textualem Sacrorum Canonum. quam denique *in praxi* iuxtà notorium, & nunquam controuersum stilum Datariæ Apostolicæ, adeò propterea nullas reddit litteras exaduerso extortas, vt opus non sit quærere, an concurrat, necnè legitimus Contradictor, dum etiam nullo opponente, & comparente ipse Executor cui ex confessione Partis nota est subreptitio, & aullitas ex officio denegare tenetur executionem huiusmodi litteris subreptitiis, & inualidis, *vt ex doctrinis superius adductis* §. *Ex his constat signante Rosa de Executor. par.* 1. *cap.* 6. *num.* 13. ibi= *Executor enim dum videt mandatum, seù litteras Apostolicas super gratijs expeditas subreptitiè, vel obreptitiè impetratas cessare debet ab Executione litterarum Apostolicarum, vt notant communiter Doctores in cap. super litteris de rescript.* nè aliàs sequatur absurdum, quod gratiarum subreptoribus esset indulgendum, & Executor contrà mentem Papę obreptam, vel subreptam daret vitiorum ingressum in Ecclesia exequendo quidquid ex incumbentia proprii Officii exequi non debet, vt probant *Text. aperti in cap. super litteris de rescript. & in cap. super eo de crimin. fals.* & in fortioribus terminis Executoris meri non habentis causæ cognitionem firmarunt *Gloss. in cap. Pastoralis* §. *Quia vero in verbo, & si sciat*; *vers. & si ista obiciantur, ibique Ioann. Andr. num.* 17. *Butr. num.* 11. *vers. numquid autem Felin. num.* 17. ibi= *Executor merus nullam exceptionem admittit &c. fallit primo, nisi exceptio sit notoria, quia ista potest admitti*= *Barbos. num.* 14. ibi= *Merus Executor non tenetur, nec iustè potest sententiam notoriè iniustam, continentemque nullitatem exequi*= *Panormit. in cap. de cætero num.* 4. *Menoch. de arbitr. lib.* 1. *cas.* 38. *num.* 21. ibi= *nullam habet cognitionem aliquarum exceptionum, cum merus Executor sit, &c. declaratur primo non procedere, quando notoria esset exceptio.*

Tertia accedit æquè grauis, & substantialissima subreptio, quia nempe habemus in facto, quod cum occasione vacationis 22. Canonicatuum, seù Præbendarum Ecclesiæ Hispalensis ratione morbi epidemici prouisio spectaret ad Sanctam Sedem in magno numero decem, & octo Canonicatuum, seù Præbendarum Illustrissimum Capitulum supplices preces direxit Sanctissimo Domino Nostro, vt dignaretur prouidere Ecclesiæ indigenti de Personis dignissimis, illiq; proficuis, & Summus Pontifex per suũ Breue directum ad Capitulum sub die 13. Iulii 1709. aperuit mentem suam rescribendo ibi= *ad obeunda istius Ecclesiæ munera, quæ vacabant illos ex Cõcurrẽtibus delegimus, quos amplioribus testimoniis, ac pręstãtioribus PRÆROGATIVIS VIRTVTVM, NECNON ORIGINIS præceteris communitos esse existimauimus non sine peculiari quodam intuitu ad*

pre-

preces, quas nobis desuper attulistis = *Summario num.6.* ecce igitur mens Papæ declarata quomodo, & in quo genere Personarum prouisionem fecerat, includendo prouisionem huius controuersi Canonicatus factam in Persona Aduersarij paulo ante, scilicet quinto idus Iulij 1709. *Summario num.9.*, quæ idcirco aperta declaratio Summi Pontificis habenda est præ oculis ad effectum iudicandi, an Aduersarius subreptitiè extorserit prouisionem, si enim eius prouisio non est conformis huic menti Pontificiæ, vt supra declaratæ sine dubio remanebit subreptitia tamquam contra vocem Summi Pontificis palam expressam in Breui, & intuitu Capituli datam, vt in specie de hac mente Papæ firmat *Lotter. de re benef. lib.2. quæst.54.num.26. §.Nihilominus*, & est *Text. apert. in Clement.1.de probat.*, vbi disponitur standum esse declarationi Papæ circa factum proprium, itaut nulla probatio in contrarium admittatur, & late *Angel.cons.274. num.2.* ibi = *Circa id nulla cadere potest obiectio, quod omnino sit credendum assertioni Pontificis in his quæ à suo facto, aut à sua intentione dependent* = *Mascard. de probat. conclus.139.num.1.cum plurib.seqq.*, *Rot.decis.181.num.6. part.12.*, *& decis.432.num.1., & 2. part.1., & decis.120.num.6., & decis.191. num.2.part.4.recent.*

Iuxta hanc mentem ineuitabilis est subreptio litterarum, dum sciens Aduersarius Papam in prouisione huiusmodi Canonicatuum eligere velle Personas præstantiores = *Prærogatiuis virtutum, necnon originis* = falsò asseruit se esse de nobili genere procreatum, necnon studuisse Philosophiæ, & Theologiæ morali *Summario num.9.* ibi = *Tibi Presbytero asserenti te de nobili genere procreatum &c. Philosophiæ, & Theologiæ morali studuisse* = Falsitas enim narratiuæ, quod studuisset Philosophiæ, & Theologiæ morali satis probata fuit ex iam dictis; Falsitas vero alterius narratiuæ, quod esset de nobili genere procreatus, non solum conuincitur, ex quo, ipse oritur de genere vilissimæ Plebis paruæ Villæ, sed etiam hodie facta est notoria ob explicitam confessionem ab ipso Aduersario emissam in supplicatione Summo Pontifici porrecta pro secunda reualidatoria perinde valere *Summario num.4.* ibi = *Per errorem eumdem Oratorem de nobili genere procreatum existere, licet re vera de nobili genere procreatus non existeret expressum fuerit* = stante autem falsitate huius assertiuæ indubitata nascitur subreptio, & defectus intentionis Summi Pontificis licet Aduersarius subreptionem colorare prætendat ex capite erroris, tum quia error non datur in facto proprio, & circa ea, quæ concernunt propriũ statum, & conditionem *Ciriac.contr.427. num.11.*, *Buratt.decis.419.num.1.*, *Bich. decis.41. num.26.*, *& decis.367. num.6.*, *Rot. in recent. decis.128. num.13.part.6.*, *& coram Emerix iun.decis.140.n.12.*, *& decis.952. num.23.*, tum quia siue per errorem, siue per malitiam facta expressio nobilitatis vtroque casu gratiam reddit subreptitiam

quan-

quando illa fuit talis, quæ induxit Summum Pontificem ad concedendum, & cuius falsitate præcognita, aut Summus Pontifex gratiam non concessisset, aut saltem difficilius vt est notorius *Text. in cap. Super litteris de rescript. ibique Fagnan. num.63.*, vt bene *Mandos. ad regul.32., Cancell. quæst.25. num.7.* ibi = *Vt gratia subreptitia sit nulla non refert an subreptio ex simplicitate, seu ignorantia insurgat an vero dolosa sit, quia vtroque casu &c. gratia vitiatur, quod tanto magis procedit, quando subreptio committitur in exprimendo falsum, quo casu etiam dolosa præsumitur, ex quo sic impetrans asseruit, & debebat se informare prius de veritate, & maxime quando fuit expressum id, quo tacito Papa concessisset difficilius, seu propter expressionem facilius motus fuit ad concedendum* = & magistraliter tenuit *Rot. coram Coccin. decis.740. num.6., & seqq., & coram Emerix iun. decis.814. num.2., & 3., & in recent. decis.120. n.20. part.17.*

Quod locum obtinet etiam in falsa expressione qualitatis, quæ in assecutione beneficij iuxta eius naturam non requiritur, neque est necessaria, cum enim in gratiosis omnia sint verificanda, & omnis narratiua dicatur Pars gratiæ, vt apud *Rosam de execut. litter. par.1. cap.7. num.4., & 5.*, inde sequitur, vt falsitas narratiuæ vitiet gratiam, licet ex natura beneficij non requiratur, quando est talis, quæ mouere potuit Papam ad facilius concedendum, etiam quod alias sine hac qualitate fuisset concessurus vt bene probat *Garz. de benef. part.6. cap.2. num.197., & seqq.* ibi = *Quælibet expressio falsa vitiat gratiam, etiam quod alias esset Princeps concessurus, saltem quando esset talis, quæ inducit aut mouere potuisset Principem ad citius, seu facilius concedendum, seu quæ Principem faciliorem ad concedendum reddere potuit &c. vnde subreptio irritat gratiam nedum quando fuit causa inductiua, & finalis gratiæ, sed etiam si fuit causa impulsiua, vt quia Princeps alias concessisset, sed non ita de leui, seu faciliter* = & *num.103., & 204.* vbi exemplificat in falsa expressione, quod quis existat Presbyter in beneficio non requirente Presbyteratum, vel sit vtriusque iuris Baccalauerus, licet talis non sit sed in vno tantum *Rebuff. in prax. tit. de rescript.; Perinde valere num.42.* vbi dicit esse necessariam sanatoriam perinde valere in isto casu, & egregiè *Lotter. de re benef. lib.2. quæst.54. num.25. cum duob. seqq., Rot. coram Crescent. decis.8. num.6. de præben., & coram Seraphin. decis.870. num.1. vers. Sed quia, & num.3., & coram Dunoz. iun. decis.856. num.5., & in recent. decis.24. num.3. part.2., & decis.6. num.13. cum seqq. part.6.*, & hanc esse opinionem in praxi seruatam tenuit *Coccin. annot.223. n.1., & 3.*

Applicando ad rem huiusmodi certissimam Theoricam, clarum remanet casum nostrum versari in expræssione qualitatis, quæ induxit Summum Pontificem faciliorem ad concedendum, quod sufficit ex prædictis, sed veritas est, quod non solum induxit faciliorem ad concedendum, sed quod magis est illa fuit talis, vt si falsam

ſam Papa cognouiſſet, neutiquam conceſſiſſet Prouiſionem Aduerſario, quam ſane mentem Papæ non expiſcamus per coniecturas, non per interpretationes, non per inueriſimilitudines, ſed eam probamus ex ipſo Ore Summi Pontificis palam manifeſtato in eius Breui directo ad Capitulum, vt ſupra, in quo ad intuitum precum ipſius Capituli declarauit ſe feciſſe prouiſiones Canonicatuum in Perſonis præſtantioribus = *prærogatiuis virtutum, necnon originis* = addendo ita ſuam fuiſſe intentionem, ibi = *Præceteris communitos eſſe exiſtimauimus* = ſi ergo ipſe Summus Pontifex aſſeruit ſuam intentionem fuiſſe prouidere Aduerſarium vna cum alijs tamquam præſtantiorem prærogatiuis virtutum, necnon originis peculiari intuitu precum Capituli, querimus, quæ difficultas intrare poſſit ad proſternendam totam gratiam ex defectu intentionis data falſitate præſtantiæ Aduerſarij, ſeù circa prærogatiuam virtutum expreſſam in Studio Philoſophiæ, & Theologiæ moralis, ſeù circa ſolam prærogatiuam originis, ſeù nobilitatis, dum ſi Papa ita fuiſſe ſuam mentem declarauit, vt Capituli votis annueret, cedendum eſt aſſertioni Papæ, & neceſſeriò fatendum, quod iſta qualitas falsò expreſſa totum fecerit in inducendo Pontificem ad prouidendum Aduerſarium de Canonicatu, quo ſtante falſitatem hanc vitiare gratiam concludunt omnes ſupra relati, & in fortioribus egregiè probat *Coccin.annot.*223.*n.*1.,*& ſeqq.*ibi=*Sunt aliquæ deciſiones, quæ dicunt, quod quælibet falſa narratiua in facto proprio in grarioſis vitiat gratiam, & iam, quod fuiſſet ſuperflua etiam quod Papa aliter fuiſſet conceſſurus ſunt aliæ deciſiones, quæ dicunt quod &c. non vitiat gratiam, ego meis temporibus vidi prædicta ſeruari hoc modo, quod in beneficialibus omnis narratiua, etiam minima debeat iuſtificari, alias gratia non ſuffragabatur, & ſic indiſtinctè fuit ſeruata prima opinio, in alijs vero gratijs vt in diſpenſationibus vidi ſeruatam ſecundam opinionem aliquando etiam fuit variatum, quandò tamen poteſt conſiderari dolus, videlicet quod Papa facilius ob narratiuã conceſſit videtur ceſſare omnis difficultas, quod narratiua ſit iuſtificanda, alias gratia cenſetur ſubreptitia.*

Sed fortius quando præter mentem Papæ expreſſam in Breui, vt ſupra, vna cum Epiſtolis Eminentiſſimorum Officialium Paulutij, & Sacripantis, & quidem *peculiari quodam intuitu ad preces Captiuli* circa prouidendas Perſonas virtute, & natalibus conſpicuas, & pro inſigni Metropolitana tunc euacuata neceſſarias, ſatis aſſiſtit, & clamat ipſa lectura litterarum Apoſtolicarum, in quibus Papa ad oſtendendum, quod mouebatur intuitu nobilitatis, & meritorum ſic incepit =*Nobilitas generis &c., & virtutum merita &c. nos inducunt, vt tibi reddamur ad gratiam liberales* = quam intentionem proſequitur in diſpoſitiua earumdem litterarum ibi = *tibi aſſerenti de nobili genere procreatum*, = quæ verba præſeferunt intentionem

Sum-

Summi Pontificis inductam ad prouidendum Canonicatum in Persona spectabili prærogatiua Nobilitatis, qua falsa existente nascitur defectus intentionis secundum ea, quæ notarunt communiter *Garz. de benef. par.6. cap.2. num.197., & seqq., Lotter. de re benef. lib.8. quæst.29. num.46., Rot. coram Bichio decis.253. num.9. coram Cerr. decis.578. num.2. coram Dunoz. iun. decis.830. num.2., & 3. decis.814. num.1., & 2. coram Emerix Iun., & decis.375. num.18. par.19 recent., & in Mediolanen. Iurispatronatus 3. Iulij 1684. §. Demum coram Paulutio impressa apud me infrascriptum discept. Eccles. 38. num.14., & 15.*

Quod si Doctores præallegati hanc subreptionem considerant in falsa expressione qualitatis etiam non necessariæ ex natura beneficij propter solum intuitum mentis Papæ tamquam facilius inductæ ad concedendum, quid sane dicemus in casu isto, vbi habemus hanc qualitatem fuisse volitam, & desideratam per Papam non solo intuitu sui, sed intuitu Capituli, ita supplicantis ibi = *Non sine peculiari quodam intuitu ad preces, quas nobis desuper attulistis, vt singulare fraaternæ nostræ charitatis argumentum hac occasione vobis tribueremus*, = dum ergo versatur in hoc genere ita prouidendi, specialis intuitus tertij, seù Capituli, & gratia singularis, quam Papa professus fuit tribuere velle eidem Capitulo in argumentum suæ paternæ Charitatis, & in vtilitatem Ecclesiæ ob interitum multitudinis Canonicorum, fatendum necessariò est, quod ista qualitas fuerit principalis, & finalis in eligendo Aduersarium, ne alias gratia singularis facta Capitulo remaneret elusoria, & inanis, quando Principis cuiuscumque verbum, & Priuilegium decet esse mansurum, & cum effectu iuxta *Text. in Cap. si cui nulla de prebend. in 6., & in Cap. decet de regul. iur. in 6., Cæsar de Grass. decis.1. num.7., & 8. de verbor. signif., Gonzal. ad regul. 8. gloss. 9. §.2. num.11.*

Sed non sistit tantum in defectu nobilitatis subreptio, & defectus intentionis, sed currimns de vno extremo ad aliud, dum concurrit in Domino Aduersario vilis, & abiecta conditio Natalium coronata ex illa honestate, quam ei dederunt facinora eius germani fratris eodem anno 1709. secutæ prouisionis de furto abigeatus processatì, necnon consuetudinarij latronis, & simul publicè castigati iuxta exposita *in facto §. Et non solum cum seqq.*, si enim Papa cognouisset ponere in insigni Capitulo Metropolitanæ Hispalen. germanum fratrem latronis processati per sex menses antè, certè quis credat prouidere voluisse contra intentionem, quam habuit, & intuitu Capituli sibi habere placuit de prouidendis, scilicet Personis prærogatiua Virtutum, & natalis conspicuis, licet enim infamia, & dedecus fratris non porrigatur ad alium fratrem honestè viuentem, immò etiam Sanctum, & quidquid plus dici potest, hodierna tamen conditio rerum humanarum est, vt

vt nemo habere velit hoc genus fratrum, quorum facinora, & infamia, quidquid contrarium sit de iure, negari non potest, quo minus saltem ex opinione hominum denigrare soleat alios fratres & totam familiam iuxta illud *Quidianum Aiaci oppositum ab Vlisse lib. 13. Metamorph.* ibi = *neque in his quisquam damnatus, & exul* =

Quæ sanè circumstantia licet separatim, ac de per se insufficiens videri possit, si tamen vniamus mentem Papæ vnitam precibus Capituli de prouidere volendo Personas præstantiores Virtute, & Natalibus vna cum expressione facta in litteris, & consideremus insimul qualitatem nobilissimi Capituli insignis Metropolitanæ, ex hac tota massa incompertò erit subreptio re ipsa ex defectu intentionis, qui semper vrget, & quamcumq; gratiam irritat etiam motu proprio concessam vt apud *Bellamer. decis. 392. num. 1., Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 54. num. 10., Fagnan. in cap. super litteris num. 38. de rescript., Rot. coram Merlin. decis. 118. num. 3., & in recent. decis. 205. num. 5., & 6. part. 13., & decis. 235. n. 16. par. 15.*

Quæ omnia ponunt in aperto manifestam nullitatem, subreptiones, & vitia litterarum Apostolicarum, & multo magis si vniantur cum explicita confessione ipsius Aduersarij, qui necessitate ductus, & exprimendo omnes nullitates porrexit supplicationes pro sanatorijs, quibus insufficientibus se cognouit esse à capite, petendo nouam prouisionem ex integro, & sic nulla cadit difficultas pro resolutione = *litteras Apostolicas non esse exequendas.* =

Quare &c.

C. A. Guidobonus Caualchinus)
Franciscus Maria Pitonius)
Ioannes Asceuolinus) Aduoc.
Antonius Colloretus)
Ioannes Baptista Sanctinus)

CONGREGATONE

PARTICVLARI

A' SANCTISSIMO

DEPVTATA

Siuè

RR. PP. DD.

MAREFVSCHO, LANCETTA, ERRERA, ANSIDÆO, ET SARDINIO

Ispalen. Canonicatus

Super Executione Litterarum Apostolicarum.

PRO

R.mo Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ, & Patriarcalis Hyspalensis.

CONTRA

R. D. Ascensium Ximenez Polo.

S

Restrictus Iurium.

Typis De Comitibus 1717